







DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
COLLATIONE CANONICA-  
TVS INFERIORIS  
QVATENVS DIFFERT  
A COLLATIONE CANONICATVS  
ECCLESIAE CATHEDRALIS

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
ERN. AVG. CONSTANTINO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-  
RIAE ET WESTPHALIAE, RELIQUA

CONSENSV  
ILLVSTRIS ICTORVM IENENSIVM ORDINIS  
SVB PRAESIDIO  
ACHATHI LVDOVICI CAROLI  
SCHMIDII

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS  
DIE XXII. APRIL. CIOIDCCLII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVCTOR

IOANNES CHRISTOPHORVS HARTVNG  
ERFORDIENSIS, LEGVM CVLTOR.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA.



DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
COLLATIONE CANONICA-  
TVS INTERIORIS  
QUATVVS DIFFERT  
A COLLATIONE CANONICATVS  
ECCLESIAE CATHEDRALIS

---

REGTORI MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCE AC DOMINO  
D O M I N O  
FR. AVG. CONSTANTINO  
DUCE SARDINIAE ILLUSTRISSIMO MONTIVM ANGA-  
RIAE ET WESTPHALIAE. RELIGV

---

CONSENSV  
ILLVSTRIS ICTORVM IENNENSIVM ORDINIS  
SVB PRESIDIO  
ACHATI LVDVICI CAROLI  
SCHMIDII

IURIS PRAEPOSITVS DOCTORIS  
PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI  
SYNDICVS  
ACTOR  
IOANNES CHRISTOPHORVS HARTVNG

ERVDITVS. LEGV. CVRATOR  
HABE EX OFFICINA RITTERMANN





Q. D. B. V.

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

**COLLATIONE CANONICATVS  
INFERIORIS**

QVATENVS DIFFERT

**A COLLATIONE CANONICATVS  
ECCLESIAE CATHEDRALIS.**

**SECTIO I.**

PROOEMIALIS

**DE DIFFERENTIA INTER CANONICVM  
ECCLESIAE CATHEDRALIS ET COLLEGIATAE,**

ITEMQVE

**INTER COLLATIONEM ORDINARIAM  
ATQVE EXTRAORDINARIAM.**

DICENDORVM BREVIARIVM.

§. I. *V*ocis canonici etymon  
et diversi significa-  
tus apud veteres.

§. II. *q*uatenus canonicus et  
clericus synonyma sint.

§. III. *c*anonici restricta signi-  
ficatio a temporibus Chro-  
dogangi.

§. IIII. *r*atio, cur numerus ca-  
nonicorum in dies auctus.

A 2

§. V.



- §. V. *difficultates, quæ in definiendo canonico obveniunt.*
- §. VI. *notio canonici et canonicatus suppeditatur.*
- §. VII. *characteres huius conceptus explicantur.*
- §. VIII. *notantur illi, qui canonicos per clericos iure stalli et voce in capitulo gaudentes describunt.*
- §. VIII. *aliorum quorundam notiones suppeditantur, et examinantur.*
- §. X. *canonicorum et canonicatum diuisio in maiores et inferiores.*
- §. XI. *uarii canonicorum maiorum et inferiorum synonymici significatus.*
- §. XII. *electionis notio et diuisio.*
- §. XIII. *canonicatus mediante electione non conferuntur, sed collatio adhibenda est.*
- §. XIII. *diuiditur canonicorum collatio in ordinariam et extraordinariam.*

## §. I.

**S**ymon vocis canonici a canone desumptum esse, nemo in dubium vocabit. Canonis vero significatus plures existunt apud veteres. Præsertim 1) *matriculam* ecclesiæ, cui nomina clericorum inferuntur, a) 2) *pensionem et stipendium*, quod pro officio præstatur, b) quid? quod 3) ipsum *officium ecclesiasticum* c) denotat.

a) vid. ANTON. MATTHÆI *de nobil. lib. II. cap. 33. pag. 537.* et MABILLONIVS *in actis sanctor. ord. S. Benedicti, sect. V. p. 426. et 429.*

b) ita imperatores Romani christianæ religioni addicti vocem canon sæpe adhibent in l. 33. *Cod. Theod. de oper. publicis l. i. C. de indictionibus. l. 3. C. quæ res venire non possunt, l. vn. C. de collat. donat. nec non in Nov. 118. cap. 6.*

c) testante GVILIELMO CAVEO in *diff. de libris et officiis eccl. Græcor. voce κανών.* conf. DV FRESNE *Gloss. med. et infim. latin.*



*latin. voce : canonicus*, vbi plura testimonia ex decretis conciliorum reperiuntur.

§. II.

Inde factum, vt omnes, qui officio ecclesiastico fruuntur, et clerici audiunt, modo ex bonis ecclesiæ, non magnatum alerentur, d) nominati fuerint *canonici*. e)

d) obseruante THOMASSINO *de vet. et nou. eccles. discipl. lib. III. c. 8 n. 3. et 4.* et GERHARDO DV BOIS *in hist. ecclesiast. Paris. lib. VI. cap. 1. §. 5. conf. concil. Aruernense I. an. 535. celebratum can. XV.*

e) BOEHMER *iur. eccl. Protest. lib. III. tit. I. §. 16. conf. concil. Nicaen. can. XVI. XVII. et XVIII. concil. Antiocben. can. I. II. VI. et XI. et concil. Loadic. can. XV.*

§. III.

Sæculo octauo, temporibus nimirum Pipini, Chrodogangus, episcopus Metensis, clericis ecclesiæ cathedralis S. Stephani f) normam viuendi g) ad instar monachorum præscripsit, h) eosque a voce canon siue regula canonicos vocauit, i) et hac ratione vox canonicus specialiore confecuta est significationem. Huus Chrodogangi exemplum alii plures episcopi secuti, et fenatui episcoporum nomen canonicorum priuatiue vindicarunt, vt a reliquis omnibus clericis distinguerentur. k)

f) BOEHMER *iur. eccl. Protest. lib. III. tit. I. §. 15.*

g) summam regularum a Chrodogango præscriptarum ex HARBVINI *tom. III. concil. p. 112. seqq. nobis satis accurate sistit BOEHMER iur. eccl. Protest. lib. III. tit. I. §. 13.*

h) testante PAVLLO WARENFREDO *in fragment. de episcop. Metens. apud FREHERVM in corpore historia Francica Tom. I. pag. 171. seqq. quod ante Chrodogangum plures, sed frustraneo ausu tentauerant. conf. THOMASSIN. de vet. et nou. eccles. discipl. part. I. lib. III. cap. 3. seqq.*

A 3

i) quod



- f) quod enuncitur in *biblioth. max. pontific. tom. XVIII. pag. 13.* nec non in WERNHERI *diff. de eo, quod in pia causa impium est. sect. III. §. 2.* quæ inserta eiusd. *observat. part. I. obseru. 21.*
- g) hoc illustrat MABILLON. in *annal. ordini S. Benedicti tom. II. pag. 577. et 607.* et THOMASSINUS *de discipl. vet. et nou. eccles. part. I. lib. III. c. 9. n. 1. et 2.*

### §. III.

Hic ordo istis temporibus multis visus est reliquis perfectior, l) hinc canonicorum numerus eum in modum crescebat, ut cathedrales ecclesiæ ad eorum receptionem haud sufficerent: quo factum, ut extra cathedrales ecclesias alia peculiaria collegia canonicorum hinc inde erecta fuerint, quæ collegiæ ecclesiæ dictæ. m)

- l) hoc etiam testatur *capitular. Aquisgran. de an. 789. c. 71. verbis: similiter, qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus, ut illi CANONICE SECVNDVM SVAM REGVLAM viuant; et episcopus eorum regat vitam, sicut abbas monachorum.* In primis patres in conciliis commendarunt vitam canonicorum, quod apparet ex *concilio Moguntin. de an. 813. c. 9.*
- m) cel. PERTSCH. *comp. iur. can. lib. I. tit. 35. §. 472.* Plura vid. apud THOMASSIN. *de discipl. vet. et nou. eccles. part. I. lib. III. cap. 9. n. 2. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 14. et part. III. lib. III. cap. 6. n. 3. et 7.*

### §. V.

Varia fata huius instituti, quod Chrodogangum agnoscit auctorem, describere nec lubet, nec licet, præsertim cum alii n) de his mutationibus vberius locuti fuerint. Nobis potius curæ cordique est, notionem suppeditare, quæ ita comparata, ut ad hodiernos canonicos ecclesiæ Romanensis applicari possit. Sed



Sed DD. in definiendo canonico mirum in modum a se inuicem dissentire video.

p) quo referri meretur PENNOTVS in *historia totius ordinis clericorum canonicorum*, et *disputationes inter auctorem animum de l'histoire des Chanoines* et LOVIS HVGO dans *la Critique de l'histoire des Chanoines*, vt et THOMASSINVS de *discipl. vet. et nou. eccles. part. I. lib. III. cap. 9. et II. et part. III. lib. III. cap. 6.*

§. VI.

Canonici nobis sunt clerici maiorum ordinum, quorum principale officium in eo consistit, quod certas preces determinato tempore instituire debeant. Canonicarum ideo describendum esse per officium canonici, nemo in dubium vocabit.

§. VII.

Canonici eam ob causam ad clericos referendi, o) quia officio ecclesiastico funguntur, et maiores quidem, quia omnes canonicos vel presbyteros, vel diaconos, vel subdiaconos esse oportet. p) A fine denique, qui per canonicos intenditur, desumo differentiam specificam, cum officium ecclesiasticum reddat clericum, (§. II.) et diuersitas officiorum ecclesiasticorum diuersitatem ipsorum clericorum doceat.

o) c. 18. X. de verb. signif. verbis: *appellatio clericorum non solum alior, sed etiam canonicos comprehendit*, nec non c. 7. §. 3. X. de elect. c. 19. X. de verb. signif. c. 9. de priuilegiis in 6to, et plura alia testimonia reperiuntur apud GONZALEZ ad cap. 3. X. de postular.

p) testante ILL. DNO ENGAVIO in *comp. iur. can. lib. I. tit. 7. §. 90.* et ibi cit. *concl. Trident. sess. XIII. c. 12. de reform. conf. biblioth. max. pontif. tom. XVIII. p. 18.* verbis: *canonici dicuntur primi*



*primi gradus inter clericos.* Dissentit, sed argumento destitutus, SCHILTER *instit. iur. can. lib. I. tit. 7. §. 17.*

### §. VIII.

Hac ratione notio canonici nec latior, nec strictior suo definito videtur, cum e contrario notam inadæquati conceptus vix effugere possint illi, qui, uti fere plerique facere solent, autumant, canonicos esse clericos gaudentes iure stalli et voce in capitulo, et maioris firmitatis causa, frustra tamen, ad textus iuris canonici *q)* prouocant. Nam præterquam, quod non proximum, sed remotum genus sit expressum; nec omnes clerici iure stalli et voce in capitulo fruenter sunt canonici, quod purpurati, et alii, suis exemplis docent; nec omnes canonici iure stalli et voce in capitulo uti possunt, quod canonici in herbis comprobatum dant. *r)*

*q)* præsertim ad c. 19. 22. et 25. X. *de præbendis.*

*r)* vid. BOEHMER *iur. eccles. protest. lib. III. tit. XI. §. 7.*

### §. VIII.

Melius illi agunt, qui docent, canonicos esse clericos maiores collegium formantes sub præposito: horum enim sententiæ subscribere debuissent, nisi cardinales mihi fuissent impedimento, quippe qui vel episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, *s)* consequenter clerici maiorum ordinum, *t)* et præterea præposito gaudent, puta episcopo Romano. Qui denique canonicos dicunt *u)* clericos cathedralis ecclesiæ in vnum collectos, et ad Chrodogangi regulam compositos; tem-



tempora Chrodogangi vnice respiciunt: (§. III.) eorum vero notio ad subsequencia tempora applicari nequit. (§. III.)

§. X.

Canonicorum species, quod nimirum vel maiores, vel inferiores sint, facili negotio determinari possunt, modo notes, maiores esse canonicos ecclesie cathedralis, inferiores vero canonicos extra ecclesiam cathedralem collegium constituentes. Canonicatum maiorum et minorum conceptus per se patent. (§. VI.)

§. XI.

Hi termini canonici maiores et inferiores in iuri prudentia ecclesiastica recepti sunt, v) et varios admittunt synonymicos significatus. Etenim olim communi nomine gaudebant, et fratres dicti; x) sed cum subsequenti tempore hac appellatione haud contenti essent, factum, vt maiores nominati fuerint domini, y) canonici ecclesie cathedralis, siue Dom-Herren, Capitular-Herren, z) item die hoben Capitularen, a) et capitulares. b) Inferiores vero audiunt canonici c) in specie sic dicti, siue ecclesie collegiate.

v) c. 13. de election. in 6to. Dn. WERNHER de collat. canonicat. maior.

x) testibus SCHATENIO in annal. Paderborn. de an. 885. p. 193. et CRANZIO lib. III. Metropol. cap. 15. pag. 68. verbis: admo-  
neor vbiq; lego, per ecclesias vixisse fratres, ordine vtiq; cano-  
nico, sub regula D. Augustini. Sed vbi abiectum est hoc no-  
men, vt erubescant deinde dici fratres. cet.

y) observante ANTON. MATTHAEI lib. II. de nobil. cap. 33. p. 541.

z) vid. Dn. WERNHER de collat. canon. maior. sect. I. §. 4.

a) BOEHMER iur. eccles. protest. lib. III. tit. XI. §. 7.

B

b) BOEH-



- b) BOEHMER *cit. lib. III. tit. I. §. 31. conf. instrum. pac. Ornabr. art. V. §. 20. et 23* vbi repetitis vicibus *capitularium aut canonicorum* fit mentio.
- c) BOEHMER *cit. loc.*

## §. XII.

*Designatio personæ ad munus ecclesiasticum apud canonicos dicitur electio, voce in generaliore significato sumpta, d) ideoque idem denotat, ac prouisio. e) Hoc munus ecclesiasticum, si ita comparatum, vt eius possessor senatu ecclesiastico gaudeat, eiusque prouisio ab ipso senatu instituitur, hoc casu iterum electio appellatur, sed terminus specialiore habet sensum. f) In huius electionis oppositione deprehenditur collatio, quippe quæ est designatio personæ ad munus ecclesiasticum ab eius senatu haud instituta, vel quia officium ita comparatum, vt ei senatus ecclesiasticus haud subordinatus, vel ideo, quia senatus prælatum suum haud eligit.*

- d) ESPEN *iur. eccles. vniuers. lib. II. tit. XXI. cap. 3 §. 1. in fin. et §. 2.*
- e) ZIEGLER *ad Lancellor. lib. I. tit. XXV. §. 5. et VON STOECKEN disert. de prec. prim. Imperat. quest. VIII. th. 51. vbi: verbum autem prouisio generalius est, cum omnes modos contineat, per quos ecclesia prouideatur; puta nominationem, postulationem, electionem, presentationem, confirmationem, institutionem, et collationem.*
- f) ESPEN *c. l. §. 2. et BOEHMER iur. eccles. protest. lib. III. tit. V. §. 73.*

## §. XIII.

Canonici, siue maiores, siue inferiores, senatu ecclesiastico destituuntur; sed ipsi potius prælati cuiusdam senatores existunt, ex quo deduci potest, quod cano-



canonicatus mediante electione, voce in speciali sensu sumpta, non conferantur, sed nunquam non collatio adhibenda sit. (§. præc.)

§. XIII.

Hæc canonicatus collatio duplicis generis est, prout enim ab ordinario collatore, seu illo, qui *proprio iure ex quodam titulo confert*, vel in *subsidium certas ob circumstantias instituitur*, aut *ordinarie*, aut *extraordinarie*, appellatione venit. g)

g) ESPEN *iur. eccl. vniu. part. II. tit. XXI. §. 1. et BOEHMER iur. eccl. prot. lib. III. tit. V. §. 99.*

SECTIO II.

IN QVO CONSISTANT IVRA SINGVLARIA  
COLLATIONIS CANONICATVS INFERIORIS.

SYNOPSIS.

- |  |  |
|--|--|
| §. XV. <b>E</b> xistere differentiam inter collationem canonicatum maiorum et inferiorum, euincitur. | variis modis hinc inde derogatur.  |
| §. XVI. eam differentiam docere baud inutile est.  | §. XVIII. de extraordinaria collatione, si beneficium vacat in mense papali.                                 |
| §. XVII. de collatoribus ordinariis secundum ius commune.  | §. XX. iuris deuoluti votio, et diuersæ causse.  |
| §. XVIII. huic iuri communi  | §. XXI. quatenus conueniat collatio canonicatus inferioris et maioris, si deuolutionis ius antiquum spectas. |



- §. XXII. *quæ tamen secundum ius antiquum super sit differentia.*
- §. XXIII. *de differentia inter collationem beneficii inferioris et maioris iuxta iura deuolutionis hodierna.*
- §. XXIII. *de differentia inter utramque collationem si beneficium apud sedem apostolicam vacat.*
- §. XXV. *precorum primariorum notio.*
- §. XXVI. *illi describuntur, qui in Germania iure mittendi primarias preces gaudent.*
- §. XXVII. *beneficia recensentur, quæ collationi per primarias preces non subsunt.*
- §. XXVIII. *doctrina de primariis precibus limitantur ad nostrum thema.*
- §. XXVIII. *ICtorum doctrina de questione: utrum primariæ preces ad ecclesias collegiatis dirigi possint.*
- §. XXX. *affirmatiua sententia variis argumentis euincitur.*

## §. XV.

**E**xistentiam differentia inter collationem canonicatum maiorum et inferiorum si quis in dubium vocare vellet, illi oppono auctoritatem legislatorum, *b)* et ICtorum, *i)* qui eiusmodi diuersitatem agnouere, licet nos fugiat eiusmodi auctor, qui huc vsque iura singularia circa collationem canonicatum inferiorum obuentionia collegisset.

*b)* exempli loco inseruit BONIFACII in cap. 18. de elect. in 6to et CAELESTINI testimonium in cap. 6. X. de his, quæ sunt a prælat. et FRIDERICVS III. imper. cum papa NICOLAO V. in concordatis nat. German.

*i)* satis clare hoc docet Dn. WERNHERI tractat. de collat. canonicat. maiorum, Cardinalis DE LVCA in operibus sub tit. theatrum veritat. et iustitia, tom. I. in primis in tractat. de beneficiis disc. I. num. 25. et 26. disc. XXVIII. n. 19. disc. XXX. n. 15. et in summa ad hunc tractat. n. 8. in tract. de iure patron. disc. VII. n. 8. In his enim locis et aliis pluribus iura canonicatibus maioribus propria recensentur, et collationem canonicatum



tuum inferiorum longe aliter comparatam esse docet cit. tract. de benefic. disc. XII n. 12. disc. XVII. n. 5. de iure patron. disc. LXVI. n. 13. Alios plures doctores differentiam inter collationem canonicatum maiorum et inferiorum illustrantes infra suis locis laudabimus.

§. XVI.

Inquirere in differentiam inter collationem canonicatus maioris et inferioris, *vile* omnino meretur appellari *institutum*, vt facilius procedi possit in interpretatione legum iura collationis determinantium, quippe qua de hac vel illa canonicatum specie saepe loquuntur, quod multa loca iura collationis officiorum ecclesiasticorum determinantia docent. k)

k) exempli loco laudasse sufficiat cap. 6. X. de his, quae sunt a praelat. vbi de ecclesia collegiata sermo est, c. 18. de elect. in 6to et concordata nat. german. verbis: de ceteris dignitatibus et beneficiis quibuscunque saecularibus et regularibus vacaturis ultra reservationes iam dictas, maioribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus et principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis, de quibus iure ordinario provideatur, per illos inferiores, cet.

§. XVII.

Vt ordine procedam, a collatione ordinaria inchoabo. Collator ordinarius secundum ius commune est episcopus cum canonicis maioribus; l) sed vnicè quoad canonicatus maiores, non aequè, si canonicatus inferior conferendus est, quippe qui confertur a canonicis illius ecclesiae collegiatae; m) vel si eiusmodi canonicatus, ex ecclesia patronata erecti sunt, tunc collatio pertinet ad ecclesiam patronatam. n)

l) quod apparet ex c. 2. X. de sede vacante, nec non ex concil. Carthag. III. can. 22. conf. MENOCH. tom. II. consil. CLXXX.



n. 4. et de LVCA de benef. disc. I. n. 25. et 26. disc. XXVIII. n. 19. et disc. XXX. n. 15.

m) ESPEN iur. eccles. vet. part. II. tit. XXI. cap. 1. §. 18. et de LVCA de beneficiis disc. XII. n. 12. conf. cap. 6. X. de his, que fiunt a prelat.

n) de LVCA de iure patronatus disc. LXVI. n. 13.

### §. XVIII.

Hoc ius commune tunc demum applicari potest, si in *statutis*, vel *priuilegio*, o) vel *consuetudine*, p) vel *pacto*, vel *præscriptione*, q) nihil aliud prouisum, quippe quæ ante omnia spectari debent, hac tamen adhibita cautione, ne argumentatio a collatore ordinario canonicatus cathedralis ecclesiæ ad collatorem ordinarium canonicatus inferioris instituat, quippe quæ haud procedit.

o) de LVCA de benefc. disc. XVII. n. 8.

p) modo hæc consuetudo per decem annos fit præscripta. conf. cit. de LVCA de benefc. disc. XXX. n. 16. et 17.

q) ESPEN cit. cap. I. §. 21.

### §. XVIII.

Extraordinariam collationem maiores premunt difficultates. Hæ vt quouis modo euentur, præcipuos extra ordinem conferendi modos percurram. Extraordinaria collatio locum habet I.) *si beneficium vacat in mense papali*. r) Huius collationis intuitu differentiam inter canonicos maiores et inferiores statutam esse, nulli legimus, sed potius conuenientia ex non contemnendis rationibus deduci potest. Huc pertinet generalitas 1) *concordatorum nationis Germanicæ*, s) et 2) *actorum publicorum*. t)

r) BOEH-



- \*) BOEHMER *iur. eccl. prot. lib. III. tit. V. §. 120.* LYNCK *comment. ad concord. nat. Germ. cap. II. n. 35.* seq. et ibi cit. auctores.  
 1) verbis: *quoties aliquo vacante beneficio in Ianuarii, Martii, cet. mensibus specialiter dispositioni dicte sedis reseruat.* cet.  
 2) quo pertinet locus apud LONDORPIVM *tom. V. actor. publ. lib. I. §. 107. p. 323. v. 9.* verbis: *über dieses will man auf unterschiedlichen hohen und andern Stifftern* cet.

§. XX.

Inter extraordinarias canonicatum collationes referri debet II.) *pœna, que statuitur in ordinarios collatores, si intra tempus legibus determinatum iure suo non utuntur, ita tamen, ut eorum culpa vel dolus concurrat, et ius deuolutum, siue deuolutiuum appellatur a doctoribus: u)* quo casu non refert, siue canonicatum vacantem plane non conferant, siue legitimo modo haud fiat collatio.

u) vid. GONZALEZ *ad cap. 5. X. de supplend. neglig. prælat. n. 10. et 14.*

§. XXI.

Hæc collatio extraordinaria aliter comparata est, in canonicatibus inferioribus, aliter in superioribus. Nam licet secundum *ius antiquum conuenientia* eatenus adsit, quod non solum in beneficii maioribus, sed etiam in minoribus ob moram ordinarii collatoris ius conferendi deuoluatur 1) ad prælatum, si canonici sunt ordinarii collatores v) et in mora existentes, et ad canonicos, si prælatus est ordinarius et negligens: x) 2) si ordinaria collatio prælato et capitulo simul competit, quod in regula iuris est, (§. XVII.) itemque 3) eo in casu, si ille prælatus vel canonicus, qui ex iure deuolutionis iure conferendi gaudet, etiam negligens est; tunc deuoluitur ad prælati proximum superiorem. y)

v) quod



- v) quod foli canonici nonnunquam ordinarii reperiantur collatores, docet *cap. 31. X. de elect.* conf. PFEFFINGER ad *Vitriarii ius publ. tom. 11. lib. 1. tit. 16. §. 10. not. 11. p. 16.* et de *LVC A de benefic. disc. 1. n. 27. disc. XXXVII. n. 8.*
- x) quod constat ex *concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. can. 8.*
- y) quod expresse docet *cap. 3. et 5. X. de supplend. neglig. pralat.* conf. GONZALEZ ad *cap. 5. cit. n. 15.*

## §. XXII.

Hoc antiquum ius deuolutionis suas habet diuersitates, si superiorum qualitas spectatur, in quos collatio ob moram ordinarii deuoluitur. Etenim canonicatus inferioris collator ordinarius, quem supra (§. XVII. et XVIII.) descripsimus, superiorem agnoscere solet episcopum, z) alium vero ordinarius collator maiorum canonicatum.

- z) *Dn. PERTSCH comp. iur. eccles. lib. I. tit. XXXV. §. 485. n. 2.*

## §. XXIII.

Sed hodie alia deuolutionis iura in beneficiis maioribus introducta sunt. a) Nam eo in casu, si ordinarius collator canonicatum intra sex menses b) plane non confert, ius deuolutionis superius (§. præc.) determinatum, locum inuenit: si vero canonicatus quidem conferretur, at non legitime; tunc collatio non ad immediate superiorem, sed ad pontificem deuoluitur. c) Canonicatus inferiores si spectas, eorum collatio ob deuolutionem ad nostra usque tempora ita instituitur, vt 1) nulla admittatur distinctio, vtrum ordinarius collator iure suo vel plane non, vel haud legitime, fuerit vsus, 2) numquam immediate ad episcopum Romanum, sed indistincte ad proximum eius ecclesiae collegiatæ supe-



superiorem pertineat. d) En nouam differentiam inter collationem beneficiorum maiorum et minorum notatu dignissimam!

a) testante THOMASSINO *de discipl. vet. et nou. eccles. part. II. lib. I. cap. 51. n. 10. conf. cap. 18. de elect. in 6to.*

b) vid. THOMASSIN. cit. loc. n. 2. conf. c. 2. X. *de concess. prae-bendae.*

c) quod satis clare docet *cap. 18. de elect. et postul. in 6to.* licet dissentire videatur glossator ad cap. cit. ad vocem: *alium*; vbi distinguit inter *culpam* et *dolum* ordinarii collatoris, putans priori casu electionem deuolui ad superiorem proximum, non aequè, si in dolo esset.

d) per cit. c. 18. *de elect. et postul. in 6to.*

§. XXIII.

Duo adhuc restant modi extra ordinem conferendi beneficia, puta 1) *collatio ob vacantiam apud sedem apostolicam*, vel in locis a curia Romana vltra duas diaetas legales haud distantibus, e) et 2) *ob ius primariarum precum.* Quod illum modum concernit, eum, data occasione, quæ forsan raro obuenerit, ad maiores et inferiores canonicatus aequali ratione applicandum esse, f) nullus dubitandi relinquitur locus.

e) conf. LINCK. *de concord. nat. Germ. cap. II. n. 28. seq.*

f) testantibus LINCKIO cit. loc. n. 28. et ibi cit. doctoribus.

§. XXV.

Sequitur extraordinaria collatio per preces primarias. *Ius vero primariarum precum* describendum esse puto per *facultatem imperantis in quolibet senatu ecclesiastico, durante regimine semel officium conferendi.* g)

C

g) vid.



g) vid. FRITSCH *de iure primariarum precum imperiali cap. I.* n. 10. qui tractatus in *eiusdem sylloge variorum tractatuum part. I. pag. 373.* inuenitur.

### §. XXVI.

Non vna est scriptorum de iure primariarum precum sententia, quinam inter imperantes in Germania facultate mittendi preces primarias gaudeant. Nostri instituti ratio haud permittit hanc controuersiam, vt nostram faciamus, sed sufficiat illos recensere, qui in exercitio preces primarias mittendi ad nostra vsque tempora reperiuntur, quo pertinent 1) *imperator, b)* 2) *augusta in capitulis sexus feminei, i)* 3) *certa ratione vicarii imperii, k)* 4) *status imperii in suis territoriis, l)* et 5) *eorum coniuges. m)*

b) quod in singularibus commentationibus docuerunt GRIBNER *de primariis precibus imperialibus sine pontificis indultu validis*, quod opusculum inter *Gribneriana tom. III. sect. I.* suum inuenit locum, VON STOEKKE *de precibus primariis imperatoriis*, FRITSCH *de prec. prim.* et plures alii, conf. *instr. pac. Osnabr. art. V. §. 26.*

i) testante STRYCKIO *de iure papali princ. euang. cap. III. §. 5.* et formulam primariarum precum, quae imperatricem agnoscunt auctorem nobis exhibet VON STOEKKE cit. tract. *quest. XI. zh. 75.* in quarum fidem inquit GRIBNER *de precibus primariis vicariorum imperii §. 32.* qui tractatus *eiusdem opusculis tom. II. sect. II.* insertus.

k) haud obscure hoc loquitur *auraea bulla cap. V. §. 1.* et ex professo hoc ius imperantis sui defendit GRIBNER in peculiari tractatu *de prec. prim. vicar.* vbi a §. 3. ad §. 3. laudantur dissentientium argumenta et ad ea simul respondetur. Vtrum vero *coniugibus vicariorum idem ius tribuendum sit*, inquit cit. tractat. §. 22 neque FRITSCH *de prec. prim. cap. III. n. 5.* sequitur hanc vicariorum imperii potestatem in dubium vocare audeat, licet nec desint, qui eam impugnare velint, inter quos praefertim



fertim referendus est de LVDEWIG ad auream bullam tit. V. §. I. p. 547. cuius conatibus grauter se opposuit Dn. WERNHER de collat. *canonicat. maior. sect. II.* Mediam sententiam elegit BOEHMER *iur. eccl. prot. lib. III. tit. V. §. 109.* et cum eo multi alii docentes iis demum in locis vicariis imperii ius mittendi primarias preces competere, in quibus defunctus imperator iure suo non fuit usus. Alii plures doctores hanc controuersiam tractantes laudat GRIBNER in *opusculis tom. IIII. de prec. prim. imperial. §. 10.*

l) hoc enim ius huc vsque exercuisse *clementissimos electores*  
 a) MOGVNTINOS docent WOLFGANG SIGISMVND AD VORBERG in *paratit. iur. canon. class. VIII.* qui formulam de anno 1605 addit et SCHILTERVS de *libert. eccles. Germ. in addendis lib. VI. cap. V. §. II.* b) COLONIENSES probante HERMES *fascic. iur. publ. cap. II. n. 47. in fin. et cap. 13. in fin.* c) PALATINOS testante GRIBNERO in *differt. de prec. prim. princ. imper. §. I.* qui simul in *nota c.* plures hunc in finem laudat scriptores. d) SAXONICOS per cit. GRIBNERVM §. I. c) BRANDENBURGICOS, quod illustant BOEHMER *iur. eccles. prot. lib. III. tit. V. §. 4.* et SCHEPLITZ *consuet. March. part. I. tit. I. §. 2. et 3. num. 5.* f) de ducibus BRVNSVICENSIBVS, g) *episcopis LVBECENSIBVS* laudatus GRIBNER cit. loco, et denique h) de ducibus CLIVIAE, IVLIAE, vt et i) de comitibus FLANDRIAE VON STOECKEN de *prec. prim. imperial. quest. VI. th. 34.*

m) conf. SCHILTER de *libert. eccles. Germ. in addit. ad lib. VI. cap. V. §. II.* et BOEHMER. c. I. §. 105. in fin. vbi catalogus eorum capitulorum femineorum inuenitur, in quibus regina Prussiae ius primariarum precum ex indultu potentissimi mariti exercet; idem ius euincit STRYCK de *iure papali princ. euang. cap. IV. §. 5.* et CORTREIUS in *obseru. ad concordata n. 79.*

§. XXVII.

Varia quoque apud scriptores iuris publici et in specie iuris primariarum precum reperiuntur contro-



uersæ de *qualitate* beneficiorum, in quibus primariæ preces producere possunt effectum. Eorum doctrina melius fundata mihi videtur, qui putant, in imperio Germaniæ neque 1) *episcopatus*, n) neque 2) reliqua beneficia *electiua*, o) neque 3) beneficia *curata*, p) sed vnice *collatiua simplicia* per primarias preces conferri posse.

n) testantibus VON STOEKKE de *prec. prim. imper. quest. VIII.* 1b. 49. n. 1. et FRITSCH de *prec. prim. cap. I. n. 7.*

o) vid. *cap. 16. de præbendis in Gto.* conf. VON STOEKKE cit. loc.

p) *ibid. eod.* vide tamen formulam precum primariarum, quam sinit GRIBNER in *tract. de prec. prim. imperial. in appendice sub lit. A.*

#### §. XXVIII.

Sed nec has, nec reliquas controuersias circa primarias preces obuinentes examinare animus est. Nobis tantum curæ erit paucis coronidis loco inquirere: *utrum illi, qui iure primariarum precum fruuntur, idem illud æquali modo in ecclesiis collegiatis exercere possint, ac in cathedralibus, quippe quod extra dubitationis aleam haud positum est.*

#### §. XXVIII.

Si Ictorum de iure primariarum precum scripta inspiciamus, apparet, eos vel huius controuersiæ nullam fecisse mentionem, q) vel negatiuæ sententiæ subscripsisse, r) vel eorum castra sequi, qui affirmatiuam defendunt, ita tamen, vt quotquot euoluere nobis



bis permiffum fuit, dicta aut plane nullis, r) aut infufficientibus t) muniant rationibus.

- q) ad hanc claffin inter plures alios referendum effe puto GRIBNERVM non folum in tract. *de prec. prim. imperial.* fed etiam in tract. *de prec. prim. vicar. imper. et de prec. prim. princ. imper.* fruftra quoque quæfui hanc controuerfiam apud FRITSCHIVM *de prim. prec.*
- r) differentiam inter primarias preces ad ecclefiam cathedralẽ et collegiatam mittendas quoad Germaniam haud obfcure defendit DV FRESNE in *gloffur. med. et infim. latin.* voce: *preces primariae*, vbi flatim ab initio fcribit: *preces primariae funt ius, quod habet imperator coronatus ex antiqua confuetudine in omnibus ecclefiis cathedralibus, atque etiam monafteriis ceteris* vero talismodi diuerfitatem adftruit OCKEL *de præfcript. immemoriali cap. IV. §. 8. pag. 192. et 193.* exiftimans, primarias imperatoris preces in collegiatis ecclefiis ducatus Magdeburgici hodie vix ac ne vix quidem effe valituras.
- s) quo pertinent non folum omnes illi, quos ad præced. not. r) laudavi, fed etiam sæpe cit. VON STOEKKE *de prim. prec. imperial. quæft. I. n. 3. et 4.* et GRIBNER *de prec. prim. vicar. imper. §. 13.* et paffim, quippe qui contrariæ fententiæ nullibi mentionem fecit, quem ideo, vt puto, fupra non immerito inter eos retuli, qui de hac controuerfia plane tacent.
- t) fere nullum fcriptorem inuenire potui, qui euincere fluderet contra diffidentes, vtrum preces primariae æquali iure in collegiatis et cathedralibus exerceri queant, præter PFEFFINGERVM *ad Vitriarii ius public. lib. III. tit. II. §. 10. not. a.* vtrum vero illa vnica ratio, quam adducit, ad decifionem fufficiat, aliorum iudicio relinquam.



## §. XXX.

Tandem nostram opinionem cum lectore beneuolo, saluo meliori iudicio, communicabo. Eorum castra sequor, qui docent: eos, qui iure primariorum precum gaudent, illud in cathedralibus et collegiatis ecclesiis æquali ratione exercere, nisi consuetudo, vel pactum, vel priuilegium, sit impedimento, sequentibus ductus rationibus: 1) quia *leges*, quæ de iure primariorum precum loquuntur, haud distinguunt, et generatim de canonicatibus disponunt, 2) lege uero non distinguente, nec nostrum est distinguere; 3) quia *indulta pontificum*, olim non nunquam x) ad imperatores transmissa, de cathedralibus non solum, sed etiam de collegiatis loquuntur ecclesiis; y) 3) si imperantes in *precum formulis* iuris sibi competentis mentionem faciunt, hoc ius ad collegiata beneficia extendunt; z) 4) *preces ad ecclesias collegiatas missæ*, a) nostræ sententiæ haud exiguum addunt pondus; praesertim cum 5) *hæ ecclesie* eo fundamento, quod non cathedrales, sed tantum collegiatae sint, *haud impugnaverint valorem precum*; b) et ut adminiculans argumentum addam: 6) quod haud exiguus *ICtorum probatissimorum* numerus c) *mecum consentiat*,

u) vid. *instr. pac. Ornabr. art. V. §. 26.* verbis: *in quibuscunque foundationibus*,

x) circa quæstionem, vtrum imperatores absque indulto pontificis iure primariorum precum gaudeant, non vna est DD. sententia, cum vero hæc controuersia ad institutum nostrum haud pertineat, remitto lectorem ad CONRADVM OLIGENIVM (sub



(sub hoc nomine ficto latet *cardinalis* PETRVS MARCELLI-  
 NVS CORRADINI testante *cel. IOECHERS gelehrten Lexicon*  
*art. CORRADINI*) *diff. de primar. prec. imperial.* qui indultorum  
 necessitatem defendit, contrarium vero asserit VON STOEK-  
 KEN *de iur. prim. prec. quest. III.* et GRIBNER *de prec. prim.*  
*imp. sine indultu pontif. validis.*

1) eiusmodi indulta, in quibus collegiatarum ecclesiarum ex-  
 pressa sit mentio, reperiuntur apud LVNIGIVM *tom. I. spici-*  
*legii ecclesiastici cap. I. §. 170. pag. 337. §. 172. 186. 220. 225. 280.*  
*296. 302. 306. 313. et alibi.*


2) ita apud GOLDASTVM *in constitutionibus imp. tom. III. de*  
*anno 1273. pag. 406. primariae preces a Rudolpho I. de dicto an-*  
*no et formula, quam exhibet VON STOEKKE cit. dissert.*  
*quest. VIII. ib. 48. verbis: ius competat, preces primarias ad*  
*omnes et singulos beneficiorum collatores, et paulo post: etiamsi*  
*canonicatus et praebende, dignitates, personatus, administra-*  
*tiones, vel officia fuerint in COLLEGIATA, cathedrali, vel*  
*metropolitana ecclesia, cet. et clarius adhuc in formula precum*  
*Iosephi, quam sinit GRIBNER de prim. prec. imperial. in ap-*  
*pend. sub lit. A. ubi repetitis vicibus ecclesiarum collegiatarum*  
*fit mentio, et additur, quod imperatori competat facultas ad*  
*eas mittendi preces, idem illud docet charta imper. Wenceslai,*  
*quam nobiscum communicat DV FRESNE in glossar. med.*  
*et insin. latin. voce: preces primariae, nec non preces, quas*  
*elector saxonicus lo. Georg II. tanquam vicarius ad capit. eccles.*  
*metrop. Magdeb. misit, quarum formulam sinit GRIBNER*  
*de prec. prim. vicar. imp. in fine, et aliae formulae reperiuntur*  
*apud VEFENBACHIVM de iudicio aulico imper. cap. XI. pag.*  
*139. et GOLDAST in conslit. imper. tom. I. pag. 375.*

a) vni:



- a) vnicum nobis sufficiat laudare exemplum, vbi ad ecclesiam *Vrbiniensem* ab *episcopo Lubecensi* anno 1668. directæ tuere preces, quarum formulam descripsit GRIBNER in fine tractatus *de prec. prim. princ. imp.*
- b) id quod satis clare patet ex litteris, quæ concernunt primarias preces ad ecclesiam *collegiatam S. Vrscini* directas de dato 21. Iulii anni 1625. quæ reperiuntur apud BESOLDVM in *thes. pract.* voc. *prim. preces.*
- c) vide PFEFFINGER *ad Vitriarii ius publ. lib. III. tit. II. §. 10. not. a* et ibi cit. DD. nec non VON STOEKKE *de prec. prim. imp. quest. V. th. 34. et quest. VI. th. 40.*

## TANTVM.







NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**HARTVNGIO**

S. P. D.

PAVL. WILHELM. SCHMID, D.

CVR. PROV. SAXON. ADVOC. ORD.

OPPON.

**I**STI quidem rem laude omnino dignam peragunt, qui tem-  
pus studiis Academicis dicatum, ad finem propositum con-  
sequendum vnice impendunt, idque non inani otio con-  
sumunt. At isti quoque laudem eamque merentur adhuc  
maiores, et saepe viam ad fortunam suam, faciliorem sibi pa-  
rant, qui edito ante discessum, publico specimine, Patronis,  
consanguineis omnibusque bonis comprobant, se finem sibi præ-  
fixum actu obtinuisse. Vtrumque effecisti, *Clarissime Hartung!*  
Nam non tantum indefessâ industria adhibita, scientiam iuris  
solidam comparasti, hocque ipso vtile Reipublicae membrum  
*Te* formasti; sed cathedram quoque iuridicam, quod more haud  
probando, praesenti tempore a paucis legum cultoribus fieri  
solet, iam censendis atque studia *Tua* et elegantiora et iuri-  
dica in lucem producis publicam. Gratulor igitur, *Tibi*, aestu-  
matissime *Amice*, de feliciter peracto curriculo academico de-  
que specimine diligentiae ac eruditionis *Tuae* mox edendo.  
Benedicat *Numen*, quod omnia regit, benignissimum, imposte-  
rum quoque conatibus *Tuis*, Teque semper conferuet, saluum  
atque incolumen. Vale et me amare perge. Scribeb. Ienae  
diè xx. April. A. R. S. MDCCLII.

D

VIRO



\* \* \*

*VIRO IUVENI NOBILISSIMO*  
**DOMINO RESPONDENTI**

AUDITORI PERQVAM INDVSTRIO, FAVTORI  
ET AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

**GOTTLIEB FRIDERICVS AMANDVS TRAVTMANN,**  
PHIL. MAG. ET I. V. D.

STATVVM PROVINC. IENENS. SYNDICVS SECVNDARIVS.

O P P O N E N S.

---

**E**x quo Te huc venientem cognoscere licuit, facile in Te egregias ingenii vires, diligentiamque laudabilem non solum observavi, sed et Te mihi, toties quoties mecum inter privatos parietes collocutus es, moribus atque doctrina eruditioneque probasti. Quare nullus dubito, quin Tua legum applicatione solita, apta aequae ac cauta ad factorum species Tibi obvencientes, litigantibus a certo futurus sis patrocinio, criminumque accusatis a defensione decretoria. Sed aliorum laudes diligentiae Tuae Tibi sufficere haud poterant, hinc scripto quodam erudito ipse Te Patriae commendare studeo. Gratulor itaque Tibi, Vir Nobilissime, de isto specimine, gratulor Patriae, gratulor Parentibus praestantissimis, gratulor tandem mihi, quod **HARTVNGIVM** meum colere ac amare dignarer amicissimum. Dab. e Museo d. XXII. April. A. S. MDCCLII.

---

*PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO*

**DOMINO RESPONDENTI**

S. D.

**P R A E S E S.**

---

**P**UBLICAE rationes reddis de indefessa opera, quam adhibuisti in addiscendis philosophicis, et omnis iurisprudentiae doctrinis, cum sub meo moderamine disputationem **TVAM** contra eruditorum dubia defendis. Egregiam suscepisti operam,



ram, TIBI, VIR DOCTISSIME, omnino honorificam, quæ nul-  
lis laudibus satis extolli potest. Gratulor ideo TIBI, VIR PRAE-  
NOBILISSIME, de hoc praeclari eruditionis monumento, nul-  
lus dubito, fore, vt mox sequantur praemia studiorum TVORVM  
amplissima. Faxit summum, quod in caelis veneramur, numen,  
vt ad feros vsque annos valeas, omnes TVI conatus ex voto,  
et ad votum, succedant, et haud vulgaris, qua fulges, eruditio,  
noua in dies capiat incrementa in emolumentum patriae, et  
eorum, qui in posterum TVO fruuntur auxilio, in solatium ma-  
tris pietissimae, et in gaudium splendidissimae familiae. Hoc,  
AMICE, IN PAUCIS DILECTE, decenter rogo, atque con-  
tendo, vt ab amicitia, quae arctissimo vinculo per plures an-  
nos nostros iunxit animos, dum viuam, haud desistas. Scri-  
bebam Ienae die XXI. Aprilis MDCC LII.

### SONETTO.

**Q**ual Febo, nascosta la faccia,  
Usurpat' da Luna i diritti,  
Nel tramontar però nõ lascia  
Di ridoppiar li feriti  
Tal risplende d'arme de' vittì  
SIGNOR la sua penna faggia,  
Che, l'opposti da se trafitti,  
Al nub' di congedo dà caccia.  
Anzi queste trasparenti Ore  
Ch' eccelissan mi'l mio amico  
Scioglion tutt' il petr' al dolore  
Mentre con fuiscera' ardore  
Bacciando Le le man' mi dico.

### SIGNOR

DI LE'

fel Seruidore

H. H. N. WILCKENS,

di Norda nell' orientale sissa Membro  
della Società tedesca.

OPPOENTE.

D 2

Illustro



\* \* \*

*Illustro Molt' Illust' ed Eccellente Sigte,*

**L**e obbligazioni che professo a V. S. mi forzano strettamente a dimostrarle qualche riconoscenza in occasione che V. S. brama far conoscer al Publico, c' ha speso utilmente il tempo in cotesta celebre Università: e se debbo far giustizia al di LEI merito, son' astretto di dire che V. S. da che ho auuto l' honor di conoscer LA, e d' instruir LA nella lingua italiana, m' hà sodisfatta non solo colla pronta attenzione usata in udir benignamente le mie deboli istruzioni, mà, quel ch'è l'più, m' hà reso ammiratore delle di LEI rare virtù.

Non mi fermerò quivi a raccontarle minutamente, per timor d' offender la di LEI humiltà. Dirò dunque solo che V. S. colla sua affabilità s' è procacciata l' amicizia di tutti quelli, c' hanno avuto l' honore di conoscer LA, ed ogn' uno ambisce la di LEI conversazione per aver la bella sorte d' apprendere ciò che loro manca ad instruirsi nella scienza del mondo, quella modesta energia tessuta colle più sottili, e nobili espresioni dimostra la grandezza della di LEI anima, la quale ogn' uno brama acquistare; la sottigliezza del di LEI ingegno in penetrare li misteri li più reconditi della Filosofia, servono di norma agli altri per inoltrarsi nella virtù. Tutte queste doti ammassate assieme sono quelle, ch' in quest' oggi principiano ad aprir LE il camino per poter mostrarli nel mondo, per esser d' aiuto alla Republica, e d' honore alla di LEI cara Patria. Si questa prima ghirlanda d' alloro, che l' esatezza de suoi studii principia dar LE, è il primo grado che LA condurrà un giorno al colmo della gloria, e del contento; ed è ciò ch' il mio sincero cuore brama LE nel tempo c' ho l' honore di pregar LA a volerli sempre conservare nella di LEI memoria; ciò ch' io non mancherò anco di fare fin' alla tomba.

affemo Servo

E MAESTRO ALBINO DE SALES.













*Jua, Diss., 1751-52*

ULB Halle

005 108 659

3









1752/11  
459  
26

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
COLLATIONE CANONICA-  
TVS INFERIORIS  
QVATENVS DIFFERT  
A COLLATIONE CANONICATVS  
ECCLESIAE CATHEDRALIS

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
ERN. AVG. CONSTANTINO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-  
RIAE ET WESTPHALIAE, RELIQUA

CONSENSV  
ILLVSTRIS ICTORVM IENENSIVM ORDINIS  
SVB PRAESIDIO  
ACHATII LVDOVICI CAROLI  
SCHMIDII

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS  
DIE XXII. APRIL. MDCCCLII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVCTOR

IOANNES CHRISTOPHORVS HARTVNG  
ERFORDIENSIS, LEGVM CVLTOR.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA.

